



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Logico-Theologicae Pertinentes ad anteriores
Theses defensas in Collegio Adriani VI. Pontificis**

Huygens, Gommarus

[Lovanii], [1684?]

Pertinens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40533

CONCLUSIO QUARTA.

Examinatur ante dicti Authoris doctrina prout subjacet limitationibus postea adjectis.

QUæ superiori Conclusionem diximus concernunt doctrinam à prædicto Authore superiori anno traditam 12. Julii : nunc paucis agendum de limitationibus , quas isti doctrinæ ad declinandas , ut mihi videtur , objectiones adversus eam factas , à paucis diebus in ultimis suis Theſibus adjecit. ” Resolvitur , inquit , ut motivum aliquod pro una parte , censeatur grave sufficiensque ad formandum assensum probabilem , non sufficere quòd secundùm se grave sit ; sed requiri etiam , ut tale maneat comparatum ad motiva partis oppositæ : unde nullum censendum est grave respectu alicujus , nisi id prudenter judicet longè superare motiva partis oppositæ post debitum prò rei gravitate examen. Verùm idem ille in dictis ultimis Theſibus satis ostendit sibi displicere quòd conatus sim destruere commune principium de usu probabilium , ex quo , ut à me probatum existimo , quamplurimæ laxitates sunt natæ ; & longè plures , si non omnes omninò , confirmatæ. Hinc non satis comprehendo quòd colliment limitationes , quibus jam restringit doctrinam de opinione probabili ante à se traditam. Ut ut sit , serviunt illæ ad declinandum objectiones , saltem aliquas , non tamen ad declinandum omnes ; quia cùm jam admittat opinionem probabilem cum limitationibus à se superadditis esse moraliter certam , adeoque nos posse eam tutò sequi ; convincitur probabile , ac proinde incertum , vocare certum ; & contra principium autoritate ac ratione notum , in rebus ad salutem æternam pertinentibus secundùm ipsum incerta certis licitè præponi : præterea convincitur sentire quòd in probabilibus non sit pars tutior eligenda ; cùm tamen juxta lumen naturale , ac jus Canonicum in dubiis , adeoque in probabilibus , pars sit eligenda tutior. Nec refert quòd ille Author , prout & quidam alii , probabile nolint vocare dubium ; quia nimis manifestum est , quòd omne probabile sit incertum , & quòd omne incertum sit dubium , negativè scilicet , vel positivè. Deinde non facit ad praxim , an aliquid sit positivè an negativè dubium , modo positivè & negativè dubia sint æquè verosimilia , vel , si ita loqui licet , æquè falsosimilia : dantur enim negativè dubia , quæ magis sint verosimilia , quàm quædam positivè dubia ; sicuti etiam econtrà. Hinc Pontifex in Decretali dicens , quòd in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem , non restringit regulam ad dubia negativè ; sed generatim extendit ad omnia dubia , sive negativè , sive positivè dubia fuerint , nec usquam in Jure Canonico exprimitur quòd in dubiis negativè , potiùs quàm in dubiis positivè debeamus eligere semitam tutiorem. Insuper illi ipsi casus , de quibus Pontifices loquuntur potiùs sunt positivè quàm negativè dubii , prout ostensum est in Conclusionem 5. Theſium nostrarum de Opinione Probabili. Denique non refert an negativè , an positivè dubius sit num animal quòd eminus occisurus es sit homo , ut ratione periculi censearis peccare , adeoque debes in utroque dubio facti eligere partem tutiorem , etiam quando verosimilius est (modò tamen dubium) quòd animal istud sit brutum. Si ira in dubiis facti , cur non in dubiis juris , dum ex , gr. adhuc manet dubium an invasorem rerum magni momenti occidere liceat. Ex quibus indubitatè concludendum , etsi probabile foret (quòd nos omninò negamus) etiam illà probabilitate , quam antedictus Auctor exprimit in suis limitationibus , licitè à te occidi equitem aufugientem cum tuo equo ; quòd tamen illa probabilitas quantumvis germana ac practica vocaretur , aut etiam revera talis esse supponeretur , non posset te reddere securum in conscientia , ut non peccares exponendo te periculo occidendi hominem , quem Lex æterna vetet occidi.

P E R T I N E N S.

CUm Author sæpè dictus ad veram suam , germanam , ac practicam probabilitatem jam dicas se tam multa requirere , & inter cetera , ut author opinionis probabilis perpenderit ritè omnia , ut utrimque motiva contulerit , ut prudenter , ut non ex passione , ut non ex affectione ad quamdam novitatem , ut non ex superbia , &c. processerit ; quomodo poterit aliis constare , quòd nihil eorum qua ad veram , germanamque ac practicam probabilitatem requirit , fuerit omissum ?

F I N I S.